

Universitätsbibliothek Wuppertal

P. Vergili Maronis Aeneis

Vergilius Maro, Publius

Berolini, 1889

I.

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-730](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-730)

482
-507
586
-611
664-689
15-39
93
-118
354-405
1-26
53-78
183-208
236-261
549-574
732-767
-756
793
456-507
-650
667
687
-718
-758
831-938

I.

Exordio, ut narret causam errorum bellorumque, invocatur Musa. — 11	Opera divina
Iuno infesto iampridem in Aeneam omnesque Troianos animo	49
Aeoli auxilium implorat promisso Deiopeae coniugio.	80
Aeoli ventis dimissis profecta ex Sicilia classis subito disicitur,	123
sed Neptuni intercessione tempestas celerrime sedatur.	156
Ex viginti navibus septem cum Aenea in portum deveniunt;	179
egressos epulatosque socios Aeneas conatur consolari.	222
Iuppiter Veneri querenti magnam praedicit fore rem Romanam	296
Mercuriumque periculi deprecatores mittit Carthaginem.	304
Venus filio ignota facie obviam facta res Didonis exponit	371
animoque confirmato progredi iussum relinquit.	417
Aeneas et Achates caligine densa circumfusi intrant urbem	440
templique Iunonis artificia mirantes subsistunt.	493
Dido in templo legatos ex 12 navibus Troianorum benigne salutat,	578
ipsum Aeneam dilapsa nube conspectum invitat hospitio.	642
Venus pro Ascanio cum donis arcessito mittit Cupidinem,	694
cuius afflatu Dido inter cenam mirabili amore inflammata	722
Aeneam orat, ut bellum Troianum et errores suos latius narret.	

ad Arlicam delati hospites accipiuntur.

*Non solum h. h. 111.
149
p. 177*

Toti d. met. IV. 226

*Ille ego, qui quondam gracili modulatus avena
carmen, et egressus silvis vicina coegi,
ut quamvis avido parerent arva colono,
gratum opus agricolis, at nunc horrentia Martis*

*Ille ego sum —
Vol. 7. h. 1. 128
p. 177, 178, 80
p. 177, 59*

Arma virumque cano, Troiae qui primus ab oris
Italiam fato profugus Laviniaque venit
litora, multum ille et terris iactatus et alto
vi superum, saevae memorem Iunonis ob iram,
multa quoque et bello passus, dum conderet urbem
inferretque deos Latio, genus unde Latinum
Albanique patres atque altae moenia Romae.

Proemii versus *Ille ego . . Martis*, quos primus exhibet Servius,
Vergilius si ipse composuit nescio cui exemplari, quod ad amicum quen-
dam mittebat, videtur inscripsisse. 2 *Laviniaque* M²Ryabcp Serv.

Vergilius.

Musa, mihi causas memora, quo numine laeso
quidve dolens regina deum tot volvere casus
insignem pietate virum, tot adire labores
impulerit. tantaene animis caelestibus irae? *XII, 503* 10

Urbs antiqua fuit (Tyrii tenuere coloni)

Karthago, Italiam contra Tiberinaque longe *scil. contra*

ostia, dives opum studiisque asperrima belli;

quam Iuno fertur terris magis omnibus unam 15

posthabita coluisse Samo: hic illius arma,

hic currus fuit; hoc regnum dea gentibus esse,

si qua fata sinant, iam tum tenditque fovetque.

progeniem sed enim Troiano a sanguine duci

audierat, Tyrias olim quae verteret arces; 20

hinc populum late regem belloque superbum *cf. Troia.*

venturum excidio Libyae: sic volvere Parcas.

id metuens veterisque memor Saturnia belli,

prima quod ad Troiam pro caris gesserat Argis, —

ne dum etiam causae irarum saevique dolores 25

exciderant animo: manet alta mente repostum

iudicium Paridis spretaeque iniuria formae

et genus invisum et rapti Ganymedis honores;

his accensa super iactatos aequore toto

Troas, reliquias Danaum atque immitis Achilli, 30

arcebat longe Latio, multosque per annos

errabant acti fati maria omnia circum.

tantae molis erat Romanam condere gentem.

Vix e conspectu Siculae telluris in altum

vela dabant laeti et spumas salis aere ruebant, 35

cum Iuno aeternum servans sub pectore volnus

haec secum: mene incepto desistere victam

nec posse Italia Teucrorum avertere regem?

quippe vetor fati. Pallasne exurere classem *cf. VII, 119.*

Argivom atque ipsos potuit submergere ponto 40

unius ob noxam et furias Aiakis Oilei?

— ipsa Iovis rapidum iaculata e nubibus ignem

disiecitque rates evertitque aequora ventis,

illum expirantem transfixo pectore flammam *Ap. Rhod. 4, 597.*

Stat. Tr. XI, 17.

8 nomine laesa coni. Scioppius, Paradox. litterar. 1628, 24. cri-
mine laesa post Heynium Peerlk. 11 compul. Bähr. 1884, 391.
post 20 lac. fortasse statuendam dic. Kv. 1878, 8. 21/2 secl. Probus;
cf. Serv. pl. 41 Oilei M Ribb. 44 tempore Probus ap. Serv. pl.;
def. Fr. Schöll RhM. 1886, 18.

turbine corripuit scopuloque innoxio acuto:
 ast ego, quae divom incedo regina, Iovisque
 et soror et coniunx, una cum gente tot annos
 bella gero. et quisquam numen Iunonis adorat,
 praeterea aut supplex aris imponet honorem?

Talia flammato secum dea corde volutans
 nimborum in patriam, loca feta furentibus austris,
 Aeoliam venit. hic vasto rex Aeolus antro
 luctantis ventos tempestatesque sonoras
 imperio premit ac vinclis et carcere frenat.
 illi indignantes magno cum murmure montis
 circum claustra fremunt; celsa sedet Aeolus arce
 sceptrum tenens mollitque animos et temperat iras;
 ni faciat, maria ac terras caelumque profundum
 quippe ferant rapidi secum verrantque per auras.
 sed pater omnipotens speluncis abdidit atris
 hoc metuens molemque et montis insuper altos
 imposuit regemque dedit, qui foedere certo
 et premere et laxas sciret dare iussus habenas.

ad quem tum Iuno supplex his vocibus usa est:

'Aeole, (namque tibi divom pater atque hominum rex
 et mulcere dedit fluctus et tollere vento
 gens inimica mihi Tyrrhenum navigat aequor
 Ilium in Italiam portans victosque penatis
 incute vim ventis submersasque obrue puppis,
 aut age diversos et disice corpora ponto.

sunt mihi bis septem praestanti corpore nymphae,
 quarum quae forma pulcherrima Deiopea,
 conubio iungam stabili propriamque dicabo,
 omnis ut tecum meritis pro talibus annos
 exigat et pulchra faciat te prole parentem.'

Aeolus haec contra: 'tuus, o regina, quid optes
 explorare labor; mihi iussa capessere fas est.
 tu mihi quodcumque hoc regni, tu scepra Iovemque
 concilias, tu das epulis accumbere divom
 nimborumque facis tempestatumque potentem.'

Haec ubi dicta, cavum conversa cuspide montem

47 una] victa Peerlk. 48 adoret b²c²π Serv. XII 11 et G.
 IV 501. adorans C. Häberlin PhA. 1887, 600. 49 vulgo comma pon.
 post praeterea. inponit γ¹b¹c¹ imponat π 69 venti H. Usener, JJ.
 1865, 227 et A. v. Bamberg ib. 1877, 48. 70 diversas γ¹ et] aut M¹
 disice libri, Ribb. 77 explanare Bähr. 1884, 395.

45
 in. Tr. m. III, 265.

50

d. Liv. VI, 176
 Val. Fl. I, 172
 55

60

65

70

75

80

impulit in latus: ac venti velut agmine facto, *Med. Th. I, 350.*
 qua data porta, ruunt et terras turbine perfiant.
 incubuere mari totumque a sedibus imis
 una Eurusque Notusque ruunt creberque procellis 85
 Africus et vastos volvunt ad litora fluctus.
 insequitur clamorque virum stridorque rudentum. *cf. Norden p. 291.*
 eripiunt subito nubes caelumque diemque *ii. 408.*
 Teucrorum ex oculis; ponto nox incubat atra.
 intonuere poli et crebris micat ignibus aether 90
 praesentemque viris intentant omnia mortem.
 extemplo Aeneae solvuntur frigore membra;
 ingemit et duplicis tendens ad sidera palmas
 talia voce refert: 'o terque quaterque beati,
 quis ante ora patrum Troiae sub moenibus altis 95
 contigit oppetere! o Danaum fortissime gentis
 Tydide! mene Iliacis occumbere campis
 non potuisse tuaque animam hanc effundere dextra,
 saevus ubi Aeacidae telo iacet Hector, ubi ingens
Sarpedon, ubi tot Simois correpta sub undis 100
 scuta virum galeasque et fortia corpora volvit! *cf. VIII, 539.*
 Talia iactanti stridens Aquilone procella
 velum adversa ferit fluctusque ad sidera tollit.
 franguntur remi, tum prora avertit et undis
 dat latus, insequitur cumulo praeruptus aquae mons *cf. Norden 450.*
 hi summo in fluctu pendent, his unda dehiscens 105
 terram inter fluctus aperit; furit aestus harenis.
 tris Notus abreptas in saxa latentia torquet
 (saxa vocant Itali, mediis quae in fluctibus, Aras) *Norden p. 195.*
 dorsum immane mari summo), tris Eurus ab alto 110
 in brevia et syrtis urget (miserabile visu)
 inluditque vadis atque aggere cingit harenae.
 unam, quae Lycios fidumque vehebat Oronten,
 ipsius ante oculos ingens a vertice pontus
 in puppim ferit: excutitur pronusque magister 115
 volvitur in caput; ast illam ter fluctus ibidem
 torquet agens circum et rapidus vorat aequore vertex *cf. Norden*
 apparent rari nantes in gurgite vasto, *p. 415.*
 arma virum tabulaeque et Troia gaza per undas.

100 *undas* commem. Serv., cf. VIII 538; def. Schöll RhM. 1886, 22*.
 104 *proram* MRy Serv. pl. Lad. 109 *versum* cum alii deleri volunt
 tum Schöll RhM. 1886, 22; def. Plüfs JJ. 1884, 590 distinguens *saxa*.
v. . . aras. 116 *aliam*. ex con. Rbb. 117 *vortex* Rybc Ribb. Lad.

iam validam Ilioei navem, iam fortis Achatae, 120
 et qua vectus Abas, et qua grandaevus Aletes,
 vicit hiems; laxis laterum compagibus omnes
 accipiunt inimicum imbrem rimisque fatiscunt.

Interea magno misceri murmure pontum
 emissamque hiemem sensit Neptunus et imis 125
 stagna refusa vadis graviter commotus, et alto
 prospiciens summa placidum caput extulit unda.

disiectam Aeneae toto videt aequore classem,
 fluctibus oppressos Troas caelique ruina.
 nec latuere doli fratrem Iunonis et irae. 130

Eurum ad se Zephyrumque vocat, dehinc talia fatur:
 'tantane vos generis tenuit fiducia vestri?

iam caelum terramque meo sine numine, venti,
 miscere et tantas audetis tollere moles?

quos ego —! sed motos praestat componere fluctus; 135
 post mihi non simili poena commissa luetis.

maturate fugam regique haec dicite vestro:
 non illi imperium pelagi saevumque tridentem,
 sed mihi sorte datum. tenet ille immania saxa,
 vestras, Eure, domos; illa se iactet in aula 140
 Aeolus et clauso ventorum carcere regnet.'

Sic ait et dicto citius tumida aequora placat
 collectasque fugat nubes solemque reducit.
 Cymothoe simul et Triton adnixus acuto
 detrudunt navis scopulo; levat ipse tridenti 145

et vastas aperit syrtis et temperat aequor
 atque rotis summas levibus perlabitur undas.

ac veluti magno in populo cum saepe coorta est
 seditio saevitque animis ignobile vulgus;

iamque faces et saxa volant, furor arma ministrat; — 150
 tum, pietate gravem ac meritis si forte virum quem

conspexere, silent arreclusque auribus adstant;
 ille regit dictis animos et pectora mulcet:

sic cunctus pelagi cecidit fragor, aequora postquam
 prospiciens genitor caeloque invectus aperto 155
 flectit equos curruque volans dat lora secundo.

Defessi Aeneadae, quae proxima litora, cursu
 contendunt petere et Libyae vertuntur ad oras.

120 Achati Plin. ap. Charis. I 132. Ribb. 135 vos ego Schrad.
 Obs. 54 et Em. LI. 148 magna π 150. multi non volant

sed volent invenisse se dicunt . . . Serv. Dan.

est in secessu longo locus: insula portum
 efficit obiectu laterum, quibus omnis ab alto
 frangitur inque sinus scindit sese unda reductos. 160
f. Georg. IV, 470.
 hinc atque hinc vastae rupes geminique minantur
 in caelum scopuli, quorum sub vertice late
 aequora tuta silent; tum silvis scaena coruscis
 desuper, horrentique atrum nemus imminet umbra; 165
 fronte sub adversa scopulis pendentibus antrum,
 intus aquae dulces vivoque sedilia saxo,
 nympharum domus. hic fessas non vincula navis
 ulla tenent, unco non alligat ancora morsu.
 huc septem Aeneas collectis navibus omni
 ex numero subit; ac magno telluris amore 170
 egressi optata potiuntur Troes harena
 et sale tabentis artus in litore ponunt.
 ac primum silici scintillam excudit Achates
 suscepitque ignem foliis atque arida circum 175
 nutrimenta dedit rapuitque in fomite flammam.
 tum Cererem corruptam undis Cerealiaque arma
 expediunt fessi rerum frugesque receptas
 et torrere parant flammis et frangere saxo. f. d. I, 267. = 298.
 Aeneas scopulum interea conscendit et omnem
 prospectum late pelago petit, Anthea si quem
 iactatum vento videat Phrygiasque biremis,
 aut Capyn aut celsis in puppibus arma Caici.
 navem in conspectu nullam, tris litore cervos
 prospicit errantis; hos tota armenta sequuntur 185
 a tergo et longum per vallis pascitur agmen.
 constitit hic arcumque manu celerisque sagittas
 corripuit, fidus quae tela gerebat Achates,
 ductoresque ipsos primum capita alta ferentis
 cornibus arboreis sternit, tum volgus et omnem 190
 miscet agens telis nemora inter frezdea turham;
 nec prius absistit, quam septem ingentis victor
 corpora fundat humi et numerum cum navibus aequet.
 hinc portum petit et socios partitur in omnis.
 vina bonus quae deinde cadis onerarat Acestes 195
f. VIII 111
 litore Trinacrio dederatque abeuntibus heros,

175 *sucepit* MRc Serv. Ribb. 176 *pavitque* Bähr. 1884, 399.
 181 *siqua* γ² Charis. II 218, 31. Serv. pl. 188 verba *fidus* . . . Achates
 damn. Peerlk. Rbb. Gebh. 193 *humo libri praeter c² Srevii plerosque*
 cod. 195 *deinde bonus quae vina* cod. Pier. 'aliquot'. 196 *hospes*

dividit et dictis maerentia pectora mulcet:
 'o socii, (neque enim ignari sumus ante malorum)
 o passi graviora, dabit deus his quoque finem.
 vos et Scyllaeam rabiem penitusque sonantis 200
 accestis scopulos, vos et Cyclopa saxa
 experti: revocate animos maestumque timorem
 mittite; forsán et haec olim meminisse iuvabit.
 per varios casus, per tot discrimina rerum
 tendimus in Latium, sedes ubi fata quietas 205
 ostendunt; illic fas regna resurgere Troiae.
 durate et vosmet rebus servate secundis.'

Talia voce refert curisque ingentibus aeger
 spem voltu simulat, premit altum corde dolorem.
 illi se praedae accingunt dapibusque futuris: 210
 tergora diripiunt costis et viscera nudant,
 pars in frustra secant veribusque trementia figunt,
 litore aëna locant alii flammisque ministrant.
 tum victa revocant viris fusique per herbam
 implentur veteris Bacchi pinguisque ferinae. 215
 postquam exempta fames epulis mensaeque remotae,
 amissos longó socios sermone requirunt
 spemque metumque inter dubji, seu vivere credant,
 sive extrema pati nec iam exaudire vocatos.
 praecipue pius Aeneas nunc acris Oronti, 220
 nunc Amyci casum gemit et crudelia secum
 fata Lyci fortemque Gyan fortemque Cloanthum. 612

Et iam finis erat, cum Iuppiter aethere summo
 despiciens mare velivolum terrasque iacentis
 litoraue et latos populos, sic vertice caeli 225
 constitit et Libyae defixit lumina regnis.
 atque illum talis iactantem pectore curas
 tristior et lacrimis oculos suffusa nitentis
 adloquitur Venus: 'o qui res hominumque deumque
 aeternis regis imperiis et fulmine terres, 230
 quid meus Aeneas in te committere tantum,
 quid Troes potuere, quibus tot funera passis
 cunctus ob Italiam terrarum clauditur orbis?
 certe hinc Romanos olim volventibus annis,

'Medic.' Pier. γ¹? 201 *Cyclopea* libri Ribb. 209 *alto* 'obl. praevet.'
 Pier. γ 211 *deripiunt* ex Heinsii coniectura ed. rec.; sed cf. Plüßs 25³).
 223 *erat* (*verbis stratosque premebat Aeneadas somnus*) Bähr. 1884, 400.
 224 *dispiciens* Moret. I, Leid.¹, comm. Serv.; def. Lachm. Lucr. 236, Ribb.

hinc fore ductores revocato a sanguine Teucri, 235
 qui mare, qui terras omni dicione tenerent,
 pollicitus — quae te, genitor, sententia vertit?
 hoc equidem occasum Troiae tristisque ruinas

solabar fatis contraria fata rependens; 240
 nunc eadem fortuna viros tot casibus actos
 insequitur. quem das finem, rex magne, laborum?

Antenor potuit mediis elapsus Achivis
 Illyricos penetrare sinus atque intima tutus
 regna Liburnorum et fontem superare Timavi,
 unde per ora novem vasto cum murmure montis 245
 it mare proruptum et pelago premit arva sonanti.

hic tamen ille urbem Patavi sedesque locavit
 Teucrorum et genti nomen dedit armaque fixit
 Troia, (nunc placida compositus pace quiescit:)
 nos, tua progenies, caeli quibus adnuis arcem,
 navibus (infandum!) amissis unius ob iram
 prodimur atque Italis longe disiungimur oris.
 hic pietatis honos? sic nos in scepra reponis? 250

Olli subridens hominum sator atque deorum
 voltu, quo caelum tempestatesque serenat, 255
 oscula libavit natae, dehinc talia fatur:

parce metu, Cytherea, manent immota tuorum
 fata tibi; cernes urbem et promissa Lavini
 moenia sublimemque feres ad sidera caeli
 magnanimum Aenean; neque me sententia vertit. 260
 hic tibi (fabor enim, quando haec te cura remordet,
 longius et volvens fatorum arcana movebo)

bellum ingens geret Italia populosque ferocis
 contundet moresque viris et moenia ponet,
 tertia dum Latio regnantem viderit aestas 265
 ternaque transierint Rutulis hiberna subactis.

at puer Ascanius, cui nunc cognomen Iulo
 additur (Ilus erat, dum res stetit Ilia regno),
 triginta magnos volvendis mensibus orbis
 imperio explebit regnumque ab sede Lavini 270
 transferet et Longam multa vi munit Albam.

237 pollicitus Ribb. 246 praeruptum V² Sen. Nat. qu. III

1, 1; cf. Serv. ^{oe} *pr. ruptum* F (Henr. I 521 putat fuisse *praer.*)
 267 cui . . regno 268 ut verba poetae, non Iovis in parenthesi poni
 vult Jort. 463. 268 regno] *recta* Bähr. 1884, 400^s; malim *salva*.

235 hic iam ter centum totos regnabitur annos
gente sub Hectorea, donec regina sacerdos
Marte gravis geminam partu dabit Iliā prolem.

inde lupae fulvo nutricis tegmine laetus
Romulus excipiet gentem et Mavortia condet 275

240 moenia Romanosque suo de nomine dicet.
his ego nec metas rerum nec tempora pono:
imperium sine fine dedi. quin aspera Iuno,
quae mare nunc terrasque metu caelumque fatigat, 280

245 consilia in melius referet mecumque fovebit
Romanos, rerum dominos, gentemque togatam.
sic placitum. veniet lustris labentibus aetas,
cum domus Assaraci Phthiam clarasque Mycenae
servitio premet ac victis dominabitur Argis. 285

250 nascetur pulchra Troianus origine Caesar,
imperium Oceano, famam qui terminet astris,
Iulius, a magno demissum nomen Iulo.

hunc tu olim caelo spoliis Orientis onustum
accipies secunda; vocabitur hic quoque votis. *Erasmian. f. N. p. 422.*
aspera tum positis mitescent saecula bellis;

255 cana Fides et Vesta, Remo cum fratre Quirinus
iura dabunt; dirae ferro et compagibus artis
claudentur Belli portae; Furor impius intus
saeva sedens super arma et centum vinctus aënis 295
post tergum nodis fremet horridus ore cruento.

Haec ait et Maia genitum demittit ab alto,
K. ut terrae utque novae pateant Karthaginis arces *cf. 306*
hospitio Teucris, ne fati nescia Dido
finibus arceret. volat ille per aëra magnum 300
remigio alarum ac Libyae citus adstipit oris.
et iam iussa facit ponuntque ferocia Poeni
corda volente deo; in primis regina quietum
accipit in Teucros animum mentemque benignam.

At pius Aeneas per noctem plurima volvens . . . 305
ut primum lux alma data est, exire locosque
explorare novos, quas vento accesserit oras,
qui teneant (nam inculta videt), homines feraene,
quaerere constituit sociisque exacta referre.
classem in convexo nemorum sub rupe cavata 310

298 atque Gebh. JJ. 1887, 562; idem 299 ne fati . . . arceret 300
post Ravium deleri iussit. post 305 lac. stat. Heidtm. 1885, III.

arboribus clausam circum atque horrentibus umbris
 occulit: ipse uno graditur comitatus Achate
 bina manu lato crispans hastilia ferro.
 cui mater media sese tulit obvia silva
 virginis os habitumque gerens et virginis arma, 315
 Spartanae, vel qualis equos Threissa fatigat
 Harpalyce volucremque fuga praevertitur Hebrum.
 namque umeris de more habilem suspenderat arcum
 venatrix dederatque comam diffundere ventis,
 nuda genu nodoque sinus collecta fluentis. 320
 ac prior 'heus' inquit 'iuvenes, monstrate, mearum
 vidistis si quam hic errantem forte sororum,
 succinctam pharetra et maculosae tegmine lynceis,
 aut spumantis apri cursum clamore prementem.'

Sic Venus; et Veneris contra sic filius orsus: 325
 'nulla tuarum audita mihi neque visa sororum,
 o — quam te memorem, virgo? namque haud tibi voltus
mortalis, nec vox hominem sonat; o, dea certe: *cf. V. 1. 50.*
 an Phoebi soror? an nympharum sanguinis una?
 sis felix nostrumque leves, quaecumque, laborem 330
 et, quo sub caelo tandem, quibus orbis in oris
 iactemur, doceas; ignari hominumque locorumque
 erramus vento huc vastis et fluctibus acti:
 multa tibi ante aras nostra cadet hostia dextra.'

Tum Venus: 'haud equidem tali me dignor honore: 335
 virginibus Tyriis mos est gestare pharetram
 purpureoque alte suras vincire cothurno.
 Punica regna vides, Tyrios et Agenoris urbem;
 sed fines Libyci, genus intractabile bello . . .
 imperium Dido Tyria regit urbe profecta, 340
 germanum fugiens. longa est iniuria, longae *cf. V. p. 387.*
ambages; sed summa sequar fastigia rerum.
 huic coniunx Sychaeus erat, ditissimus agri
 Phoenicum, et magno miserae dilectus amore,
 cui pater intactam dederat primisque iugarat 345
 ominibus. sed regna Tyri germanus habebat
 Pygmalion, scelere ante alios immanior omnis.

317 *Eurum* Rutgers, Lect. Venus. VI, et Ribb. 323 *maculoso*
 Vindob. δ Madv. 34*). *tegmina* γ¹ Rbb. *tergore* Bähr. 1884, 402, ut
lynceis pendeat a vocabulo *cursum*. 324 damn. Schenkl ap. Kl.
 338 *ab Agenoris urbe* Heidtm. 1885, 3. 340 *gerit* Gent 1.
 343 *agri] auri* Huet. 62, Ribb.

quos inter
 impius an
 clam ferro
 germana
 multa man
 ipsa sed in
 coniugis;
 crudelis at
 nudavit ca
 tum celer
 auxiliu
 thesauros,
 his commo
 conveniunt
 aut metus
 corripunt
 Pygmalion
 devenerit
 moenia sur
 meratiqu
 iaurino qu
 sed vos qu
 quore tene
 suspirans i
 'O de
 et vacet ar
 ante diem
 nos Troia
 Troiae non
 forte sua L
 sum pius A
 classe veho
 Italiam qu
 bis denis P
 matre dea
 vix septem

345 *mod*
 post *miria* dis
 Beck. De sen
 'impot' ant.
 1871, 5.
 1878, 112.

quos inter medius venit furor. ille Sychaeum
impious ante aras atque auri caecus amore
clam ferro incautum superat; securus amorum
germanae; factumque diu celavit et aegram
multa malus simulans vana spe lusit amantem.
ipsa sed in somnis inhumati venit imago.

coniugis; ora modis attollens pallida miris
crudelis aras traiectaue pectora ferro
nudavit caecumque domus scelus omne rexit.
tum celerare fugam patriaque excedere suadet
auxiliumque viae veteris tellure recludit
thesauros, ignotum argenti pondus et auri.
his commota fugam Dido sociosque parabat.

conveniunt, quibus aut odium crudele tyranni
aut metus acer erat; navis, quae forte paratae,
corripiunt onerantque auro. portantur avari
Pygmalionis opes pelago; dux femina facti.

devenere locos, ubi nunc ingentia cernis
moenia surgentemque novae Karthaginis arcem,
mercatique solum, facti de nomine Byrsam,
taurino quantum possent circumdare tergo
sed vos qui tandem? quibus aut venistis ab oris
quove tenetis iter? quaerenti talibus ille
suspirans imoque trahens a pectore vocem:

O dea, si prima repetens ab origine pergam
et vacet annalis nostrorum audire laborum,
ante diem clauso componet Vesper Olympo.
nos Troia antiqua, si vestras forte per auris
Troiae nomen iit, diversa per aequora vectos
forte sua Libycis tempestas appulit oris.

sum pius Aeneas, raptos qui ex hoste penatis
classe veho mecum, fama super aethera notus.
Italiam quaero patriam et genus ab Iove summo.
bis denis Phrygium conscendi navibus aequor
matre dea monstrante viam data fata secutus:
vix septem convulsae undis euroque supersunt.

348 medios Mc¹ Servii cod. pler. 354 non post coniugis, sed
post miris dist. Kl. 365 cernis libri praeter Mc¹ 367/8 damnant
Beck, De sensu crit. II 62, Peerlk., Ribb. alii. 374 componat P¹R
aliquot ant. Pier. 377 orta furens Gent 3. fraude sua Güthl.
1877, 5. 380 patrium praemisso et Heidtm. 1885, 3. patriam, est Kv.
1878, 112. 381 bis denis Heidtm. JJ. 1881, 421 itemque Bähr. 1884, 396.

h. Lucr. III, 59.

350
ad recurus d. VII, 504.
f. 210² effl. a. h. m. X¹¹, 5.

d. VI, 738
Lucr. I, 123. 355
821
9 III, 509.

360

365

370

375

380

N. 223.

323 maculoso
1884, 402, nt
enkl ap. Kl.
Gent 1.

ipse ignotus egens Libyae deserta peragro
 Europa atque Asia pulsus. nec plura querentem 385
 passa Venus medio sic interfata dolore est:
 'Quisquis es, haud, credo, invisus caelestibus auras
vitalis carpis, Tyriam qui adveneris urbem.
 perge modo atque hinc te reginae ad limina perfer.
 namque tibi reduces socios classemque relatam *af. Hab. hab.* 390
 nuntio et in tutum versis aquilonibus actam,
 ni frustra augurium vani docuere parentes.
 aspice bis senos laetantis agmine cyncos,
 aetheria quos lapsa plaga Iovis ales aperto
 turbabat caelo; nunc terras ordine longo 395
 aut capere aut captas iam despectare videntur:
 ut reduces illi ludunt stridentibus alis
 et coetu cinxere polum cantusque dedere,
 haud aliter puppesque tuae pubesque tuorum
 aut portum tenet aut pleno subit ostia velo. 400
 perge modo et, qua te ducit via, dirige gressum.
 Dixit et avertens rosea cervice refulsit,
 ambrosiaeque comae divinum vertice odorem
 spiravere, pedes vestis defluxit ad imos,
 et vera incessu patuit dea. // ille ubi matrem 405
 adgnovit, tali fugientem est voce secutus:
 'quid natum totiens, crudelis tu quoque, falsis
 ludis imaginibus? cur dextrae iungere dextram
 non datur ac veras audire et reddere voces?' *q. V. 687 Cat. 64. 16*
 talibus incusat gressumque ad moenia tendit. *N. 234.* 410
 at Venus obscuro gradientis aëre saepsit
 et multo nebulae circum dea fudit amictu,
 cernere ne quis eos neu quis contingere posset
 molirive moram aut veniendi poscere causas.
 ipsa Paphum sublimis abit sedesque revisit 415
 laeta suas, ubi templum illi, centumque Sabaeo
ture calent arae sertisque recentibus halant.
 Corripuere viam interea, qua semita monstrat.
 iamque ascendebant collem, qui plurimus urbi

389 damn. post Ravium Kv. 1878, 116. 395 nunc . . videntur
 396 parenthesis signis circumcl. iub. Eufsnor, BG. 1880, 6. 396 capsos
 ex con. Ribb. -spectare G respectare P 397 post 393 poni, 398
 eici iubet Mejer JJ. 1883, 772. 397/8 excludi volunt Schenkl ZōG.
 1870, 390, L. Müll. Phil. 1877, 350, alii. 398 solum Burm.
 401 derige PR¹ Ribb. 407 totiens] genetrix Heidtm. 1885, 4.

(q. 687 Cat. 64. 16
 N. 234.)

iminet adv
 miratur mole
 miratur port
 instant ar
 molirive
 pars optare
 iura magistr
 hic portus al
 fundamenta
 rupibus exci
 qualis apes a
 exercet sub
 educunt fetus
 stipant et di
 aut oera ac
 ignarum fuco
 ferret opus r
 fortunati.
 Aeneas ait et
 inter se saep
 per medios m
 Lucus in
 quo primu
 effloere loco
 monstrat,
 regiam et
 hic templum
 credebat, do
 area cui gra
 are trabes,
 hic primum
 lenit, hic pr
 ausis et ad
 namque su
 regiam oppo

426 damn
 ala T Ribb. q
 P. neonall' P
 ama. Gruppe 2
 Puh. ap. Serv.
 445 facili Kv. 1
 172 Prob. 9, 29
 omit. v. 454.

385 imminet adversasque adspectat desuper arces.
 miratur molem Aeneas, magalia quondam,
 miratur portas strepitumque et strata viarum.
 instant ardentem Tyrii, pars ducere muros
 molirique arcem et manibus subvolvere saxa,
pars optare locum tecto et concludere sulco; 420
 390 iura magistratusque legunt sanctumque senatum;]
 hic portus alii effodiunt, hic alta theatri
 fundamenta locant alii immanisque columnas
 rupibus excidunt, scaenis decora alta futuris.
 qualis apes aestate nova per florea rura 430
 exercet sub sole labor, cum gentis adultos
 educunt fetus, aut cum liquentia mella
 stipant et dulci distendunt nectare cellas,
 aut onera accipiunt venientum, aut agmine facto
 ignavam fucos pecus a praesepibus arcent; } - G. IV 182.
 fervet opus redolentque thymo fragrantia mella. 435
 'o fortunati, quorum iam moenia surgunt!
 Aeneas ait et fastigia suspicit urbis.
 infert se saeptus nebula (mirabile dictu)
 per medios miscetque viris neque cernitur ulli. 440
 405 Lucus in urbe fuit media, laetissimus umbrae,
 quo primum iactati undis et turbine Poeni
 effodere loco signum, quod regia Iuno
 monstrarat, caput acris equi; sic nam fore bello
 egregiam et facilem victu per saecula gentem. } - G. III, 318, 445 } - I, 615.
 hic templum Iunoni ingens Sidonia Dido } Georg. II, 466
 condebat, donis opulentum et numine divae, } fontem vetum
 aerea cui gradibus surgebant limina nexaeque
 aere trabes, foribus cardo stridebat aënis.
 hoc primum in luco nova res oblata timorem 450
 leniit, hic primum Aeneas sperare salutem
 ausus et adflictis melius confidere rebus.
 namque sub ingenti lustrat dum singula templo
 reginam opperiens, dum, quae fortuna sit urbi, +

426 damn. Heyne. 427 hic alterum] hinc Nonius 340, 20. Ribb.
 lata F Ribb. apta Bentl. theatris FP¹Ry¹bc¹ Ribb. 428 petunt
 F¹ nonnulli Pier. x Ribb. 431 cum . . . mella 436 (∞ G. IV 162 s.)
 damn. Gruppe 214 et Kv. 1878, 120; def. Albr. 405. 441 umbrae F¹
 Prob. ap. Serv., Serv. pl. XI 338. umbra cet. libri. 444 monstrabat γ¹
 445 facili Kv. 1878, 122. rectu Heidtm. JJ. 1881, 421. 448 nexaeque
 b¹x Prob. 9, 29; cf. Serv. pl. Lad. 453 lustrant et 456 mirantur, ut
 omitt. v. 454, Schenkl ap. Kl.

445. Sic I. 615. Ex quo facies

artificumque manus ^{intra} se operumque laborem 455
 miratur, videt Iliacas ex ordine pugnas
 bellaque iam fama totum volgata per orbem,
 Atridas Priamumque et saevum ambobus Achillen.
 constitit et lacrimans 'quis iam locus,' inquit 'Achate,
 quae regio in terris nostri non plena laboris?' 460
 en Priamus. sunt hic etiam sua praemia laudi,
 sunt lacrimae rerum et mentem mortalia tangunt.
 solve metus; feret haec aliquam tibi fama salutem.
 sic ait atque animum pictura pascit inani
 multa gemens largoque umectat flumine voltum. 465
 namque videbat, uti bellantes Pergama circum
 hac fugerent Grai, premeret Troiana iuventus, N. 367, 2
 hac Phryges, instaret curru cristatus Achilles.
 nec procul hinc Rhesi niveis tentoria velis
 agnoscit lacrimans, primo quae prodita somno 470
 Tydides multa vastabat caede cruentus,
 ardentisque avertit equos in castra, prius quam
 pabula gustassent Troiae Xanthumque bibissent.
 parte alia fugiens amissis Troilus armis, 475
 infelix puer atque impar congressus Achilli,
 fertur equis curruque haeret resupinus inani,
 lora tenens tamen; huic cervixque comaeque trahuntur
 per terram et versa pulvis inscribitur hasta.
 interea ad templum non aquae Palladis ibant
 crinibus Iliades passis peplumque ferebant 480
 suppliciter tristes et tunsae pectora palmis;
 diva solo fixos oculos aversa tenebat. ~TT. 469.
 ter circum Iliacos raptaverat Hectora muros
 exanimumque auro corpus vendebat Achilles.
 tum vero ingentem gemitum dat pectore ab imo, 485
 ut spolia, ut currus, utque ipsum corpus amici
 tendentemque manus Priamum conspexit inermis.
 se quoque principibus permixtum agnovit Achivis
 Eoasque acies et nigri Memnonis arma.
 ducit Amazonidum lunatis agmina peltis 490
 Penthesilea furens mediisque in milibus ardet,
 aurea subnectens exsertae cingula mammae,

455 *inter se* libri pr. c¹; cf. Madv. 33. *intrans* Ribb. 462 *sunt*
lacr. aerumnis: gentem Gent 4. 463 *aliquando*, ut *tibi* omitt.,
 Heidtm. 1885, 4. 479/82 Ribb. pos. post 473, post 468 Kv. 1878, 134.
 488 *agnoscit* FRc.

bellatrix, audetque viris concurrere virgo.

Haec dum Dardanio Aeneae miranda videntur,
dum stupet obtutuque haeret defixus in uno,
regina ad templum, forma pulcherrima Dido,
incessit magna iuvenum stipante caterva. *q. 2. 40.* 495

qualis in Eurotae ripis aut per iuga Cynthi
exercet Diana choros, quam mille secutae
hinc atque hinc glomerantur Oreades; illa pharetram
fert umero gradiensque deas supereminet omnis
(Latonae tacitum pertemptant gaudia pectus):
talis erat Dido, talem se laeta ferebat 500

per medios instans operi regnisque futuris,
tum foribus divae, media testudine templi,
saepta armis solioque alte subnixae resedit. 505

iura dabat legesque viris operumque laborem
partibus aequabat iustis aut sorte trahebat,
cum subito Aeneas concursu accedere magno
Anthea Sergestumque videt fortemque Cloanthum
Teucrorumque alios, ater quos aequore turbo
dispulerat penitusque alias avexerat oras. 510

obstupuit simul ipse, simul percussus Achates
laetitiaque metuque; avidi coniungere dextras
ardebant; sed res animos incognita turbat.
dissimulant et nube cava speculantur amicti,
quae fortuna viris, classem quo litore linquant,
quid veniant; cunctis nam lecti navibus ibant
orantes veniam et templum clamore petebant. 515

Postquam introgressi et coram data copia fandi,
maximus Ilioneus placido sic pectore coepit: 520

o regina, novam cui condere Iuppiter urbem
iustitiaeque dedi gentis frenare superbas,
Troes te miseri, ventis maria omnia vecti,
oramus: prohibe infandos a navibus ignis,
parce pio generi et propius res aspice nostras.
non nos aut ferro Libyco populare penatis
venimus aut raptas ad litora vertere praedas;
non ea vis animo nec tanta superbia victis. 525

* 498/505 damn. Gruppe 211, post IV 137 transpon. Heidtm. 1885, VI. 505 tum] in Non. 244, 8. sub Gebh. media e media P¹ media e testudine Ribb. 512 advexerat M² averterat F_γ 513 percussus MP²γ²b²c² Serv. pl. 518 cuncti F¹MP²R_γ²b¹c² Serv. (pr. cod. Hamb.), ut dist. post c. lectis P²R_γ¹, cf. Serv.

est locus, Hesperiam Grai cognomine dicunt, 580
 terra antiqua, potens armis atque ubere glaebae;
 Oenotri coluere viri, nunc fama minores
 Italiam dixisse ducis de nomine gentem:
 hic cursus fuit;
 cum subito adsurgens fluctu nimbosus Orion 585
 in vada caeca tulit penitusque procacibus austris
 perque undas superante salo, perque inuia saxa
 dispulit: huc pauci vestris adnavimus oris.
 quod genus hoc hominum? quaeve hunc tam barbara morem
 permittit patria? hospitio prohibemur harenae; 540
 bella cient primaque vetant consistere terra.
 si genus humanum et mortalia temnitis arma,
 at sperate deos memores fandi atque nefandi.
 rex erat Aeneas nobis, quo iustior alter 545
 nec pietate fuit nec bello maior et armis.
 quem si fata virum servant, si vescitur aura
 aetheria neque adhuc crudelibus occubat umbris,
 non metus; officio nec te certasse priorem
 paeniteat. sunt et Siculis regionibus urbes 550
 armaque, Troianoque a sanguine clarus Acestes.
 quassatam ventis liceat subducere classem
 et silvis aptare trabes et stringere remos,
 si datur Italiam sociis et rege recepto
 tendere, ut Italiam laeti Latiumque petamus;
 sin absumpta salus et te, pater optime Teucrum, 555
 pontus habet Libyae nec spes iam restat Iuli,
 at freta Sicaniae saltem sedesque paratas,
 unde huc advecti, regemque petamus Acesten.
 talibus Ilioneus; cuncti simul ore fremebant 560
 Dardanidae.
 Tum breviter Dido voltum demissa profatur:
 'solvite corde metum, Teucri, secludite curas.
 res dura et regni novitas me talia cogunt
 moliri et late finis custode tueri.
 quis genus Aeneadam, quis Troiae nesciat urbem, 565
 virtutesque virosque aut tanti incendia belli?
 non obtusa adeo gestamus pectora Poeni,
 nec tam aversus equos Tyria Sol iungit ab urbe.

534 huc χ, cf. Serv. 548 nec] ne Goth. 54 et Hamb.²
 550 arvaque M — P post hunc v. lac. stat. Ribb. 557 at] ut Bähr.
 1884, 409.

Stat. Th. 3. 68.
 Hal. Fl. II, 644.

seu vos Hesper
 sire Erycis in
 auxilio tutos
 tollis et his
 urbem quam
 Tros Tyrus
 atque utinam
 adforet Aeneas
 dimittam et L
 si quibus eie
 His anim
 et pater Aene
 ardehant. pr
 nate dea, qu
 omnia tuta vi
 unus abest, n
 submersum, a
 rix ea fatus
 scindit se nul
 restitit Aeneas
 os umerosque
 caesariem nat
 purpureum
 quale manus
 argentum Pa
 tum sic regi
 improvisus a
 Troius Aeneas
 o sola infand
 quae nos, re
 omnibus exha
 urbe domo se
 non opis est
 gentis Dard
 di tibi, si qu
 usquam iustit
 praemia dign
 saecula? qui
 574 Tyrus
 Ginel. Bähr. 18
 haecis P' Serv
 604 iustitiae H
 Vergilius.

580 seu vos Hesperiam magnam Saturniaque arva
sive Erycis finis regemque optatis Acesten,
auxilio tutos dimittam opibusque iuvabo; 570
vultis et his mecum pariter considerare regnis:
urbem quam statuo, vestra est; subducite navis;
585 Tros Tyriusque mihi nullo discrimine agetur.
atque utinam rex ipse noto compulsus eodem
adforet Aeneas! equidem per litora certos
dimittam et Libyae lustrare extrema iubebo,
si quibus eiectus silvis aut urbibus errat. 575

His animum arrecti dictis et fortis Achates
et pater Aeneas iamdudum erumpere nubem 580
ardebant. prior Aeneas compellat Achates:
‘nate dea, quae nunc animo sententia surgit?
omnia tuta vides, classem sociosque receptos.
585 unus abest, medio in fluctu quem vidimus ipsi
submersum, dictis respondent cetera matris.’
vix ea fatus erat, cum circumfusa repente
scindit se nubes et in aethera purgat apertum.
restitit Aeneas claraque in luce refulsit
os umerosque deo similis; namque ipsa decoram
590 caesariem nato genitrix lumenque iuventae
purpureum et laetos oculis adflarat honores:
quale manus addunt ebori decus, aut ubi flavo
argentum Pariusve lapis circumdatur auro.
tum sic reginam adloquitur cunctisque repente
improvisus ait: ‘coram, quem quaeritis, adsum 595
Troius Aeneas, Libycis ereptus ab undis.
o sola infandos Troiae miserata labores,
quae nos, reliquias Danaum, terraeque marisque
omnibus exhaustos iam casibus, omnium egenos
600 urbe domo socias, grates persolvere dignas
non opis est nostrae, Dido, nec quidquid ubique est
gentis Dardaniae, magnum quae sparsa per orbem.
di tibi, si qua pios respectant numina, si quid
usquam iustitiae est, et mens sibi conscia recti,
605 praemia digna ferant. quae te tam laeta tulerunt
saecula? qui tanti talem genuere parentes?’

574 Tyriusve Gebh. habetur Non. 282, 24; inde habetor auct.
Guet. Bähr. 1884, 510. 578 montibus Goth. 56, Burm. 599 ex-
haustis F¹ Serv. pl.; Ribb. 602 magnum . . orbem damn. Peerlk.
604 iustitiae libri praeter M¹γ 605 ferent Jort. 604.

Vergilius.

in freta dum fluvii current, dum montibus umbrae
 + lustrabunt, convexa, polus dum sidera pascet,
 * semper honos nomenque tuum laudesque manebunt, = *del. V. 78.*
 quae me cumque vocant terrae. sic fatus amicum 610
 Ilionea petit dextra laevaue Serestum,
 post alios, fortemque Gyan fortemque Cloanthum.

Obstipuit primo aspectu Sidonia Dido,
 casu deinde viri tanto, et sic ore locuta est: *V. p. 387.* 615

'quis te, nate dea, per tanta pericula casus
 insequitur? quae vis immanibus applicat oris?
 tune ille Aeneas, quem Dardanio Anchisae
 alma Venus Phrygii genuit Simoentis ad undam?
 atque equidem Teucrum memini Sidona venire
 finibus expulsum patriis, nova regna petentem 620
 auxilio Beli; genitor tum Belus opimam
 vastabat Cyprum et victor ditione tenebat.

tempore iam ex illo casus mihi cognitus urbis
Troianae nomenque tuum regesque Pelasgi.
 ipse hostis Teucros insigni laude ferebat 625

seque ortum antiqua Teucrorum ab stirpe volebat.
 quare agite, o, tectis, iuvenes, succedite nostris.
 me quoque per multos similis fortuna labores
 iactatam hac demum voluit consistere terra.
 non ignara mali miseris succurrere disco. 630

sic memorat; simul Aenean in regia ducit
 tecta, simul divom templis indicit honorem.
 nec minus interea sociis ad litora mittit
 viginti tauros, magnorum horrentia centum
 terga suum, pinguis centum cum matribus agnos, 635
 + munera laetitiamque dñ.

at domus interior regali splendida luxu
 instruitur, mediisque parant convivia tectis:
 arte laboratae vestes ostroque superbo,
 ingens argentum mensis caelataque in auro 640
 fortia facta patrum, series longissima rerum
 per tot ducta viros antiquae ab origine gentis.

Aeneas (neque enim patrius consistere mentem) *q. 676.*

607/8 damn. Peerlk. 608 *lustra dabunt* Heins. *dum stabunt*
 Schröt. 1875, 3. Ribb. dist. ante *convexa*; cf. Prob. 5, 9 et Serv.
 612 *fortemque Gyan* cet. (=222) damn. Albr. 426. 636 *dii* Gellius
 IX 14, 8; cf. Serv. pl. *dei* libri, Serv. 639 *superbae* Heidtm. GPr.
 Wesel 1884, 4. 642 *antiqua* P¹Ry¹bc¹ Ribb.

passus amor) rap
 Ascario ferat ho
 omnis in Ascario
 munera praeter
 ferre iubet, pa
 et circumtextum
 ornatus Argivae
 Pergama cum pe
 utulerat, matris
 praeterea sceptru
 maxima natarum
 bacatum et dupl
 lae celerans it

At Cythere
 consilia, ut faci
 pro dulci Ascario
 arendat regina
 quippe domum
 viri atrox luno
 ergo his aliger
 hale, meae vi
 ate, patris su
 al te confusa
 later ut Aene
 lora iactetur
 nota tibi, et
 hunc Phoenis
 vocibus; et ve
 hospitia: haud
 quocirca caper
 regnam medita
 sed magno Aen
 qua facere id
 regius accitu
 Siloniam puer
 dona ferens pel
 hunc ego sopit
 aut super Idaliu

646 *caro* B
 Typhoea libri, Ribb.
 P¹Ry¹bc¹ Ribb.
 676 *pectus* ten. G

passus amor) rapidum ad navis praemittit Achaten,
Ascanio ferat haec ipsumque ad moenia ducat: 645

omnis in Ascanio cari stat cura parentis.

munera praeterea Iliacis erepta ruinis

ferre iubet, pallam signis auroque rigentem

et circumtextum croceo velamen acantho,

ornatus Argivae Helenae, quos illa Mycenis, 650

Pergama cum peteret inconcessosque hymenaeos,

extulerat, matris Ladae mirabile donum;

praeterea sceptrum, Ilione quod gesserat olim,

maxima natarum Priami, colloque monile

hacatum et duplicem gemmis auroque coronam.

haec celerans iter ad navis tendebat Achates.

At Cytherea novas artes, nova pectore versat

consilia, ut faciem mutatus et ora Cupido

pro dulci Ascanio veniat donisque furentem

incendat reginam atque ossibus implicet ignem; 660

quippe domum timet ambiguam Tyriosque bilinguis;

urit atrox Iuno et sub noctem cura recursat.

ergo his aligerum dictis adfatur Amorem:

nate, meae vires, mea magna potentia solus,

nate, patris summi qui tela Typhoia temnis, 665

ad te confugio et supplex tua numina posco.

frater ut Aeneas pelago tuus omnia circum

litora iactetur odiis Iunonis iniquae,

nota tibi, et nostro doluisti saepe dolore.

hunc Phoenissa tenet Dido blandisque moratur 670

vocibus; et vereor, quo se Iunonia vertant

hospitia: haud tanto cessabit cardine rerum.

quocirca capere ante dolis et cingere flamma

reginam meditor, ne quo se numine mutet,

sed magno Aeneae mecum teneatur amore. 675

qua facere id possis, nostram nunc accipe mentem.

regius accitu cari genitoris ad urbem

Sidoniam puer ire parat, mea maxima cura,

dona ferens pelago et flammis restantia Troiae;

hunc ego sopitum somno super alta Cythera 680

aut super Idalium sacrata sede recondam,

646 *caro* Bähr. JJ. 1872, 836. 665 *Typhoia* 'multi' ap. Serv.
Typhoea libri, Ribb. 668 *iacteturque* libri praeter F¹ *acerbae*
 F¹P¹γ¹b²m Ribb. 670 *nunc* F¹c? *z* Ribb. — P 671 *at* Weidn.
 675 *pectus ten.* Gent 10.

ne qua scire dolos mediusve occurrere possit.
tu faciem illius (noctem non amplius unam
falle dolo) et notos pueri puer indue voltus,
ut, cum te gremio accipiet laetissima Dido
regalis inter mensas laticemque Lyaeum,
cum dabit amplexus atque oscula dulcia figet,
occultum inspirens ignem fallasque veneno.
paret Amor dictis carae genetricis et alas
exiit et gressu gaudens incedit Iuli.

at Venus Ascanio placidam per membra quietem
inrigat et fotum gremio dea tollit in altos
Idaliae lucos, ubi mollis amaracus illum
floribus et dulci adspirans complectitur umbra.

Iamque ibat dicto parens et dona Cupido
regia portabat Tyriis duce laetus Achate.
cum venit, aulaeis iam se regina superbis
aurea composuit sponda mediamque locavit;
iam pater Aeneas et iam Troiana iuventus
conveniunt, stratoque super discumbitur ostro.
dant manibus famuli lymphas Cereremque canistris
expediunt tonsisque ferunt mantelia villis.
quinquaginta intus famulae, quibus ordine longam
cura penum struere et flammis adolere penatis;
centum aliae totidemque pares aetate ministri,
qui dapibus mensas onerent et pocula ponant.
nec non et Tyrii per limina laeta frequentes
convenere toris iussi discumbere pictis.
mirantur dona Aeneae, mirantur Iulum
flagrantisque dei voltus simulataque verba
[pallamque et pictum croceo velamen acantho].

praecipue infelix, pesti devota futurae,
expleri mentem nequit ardescitque tuendo
Phoenissa et pariter puero donisque movetur.
ille ubi complexu Aeneae colloque pependit
et magnum falsi implevit genitoris amorem,
reginam petit. haec oculis, haec pectore toto
haeret et interdum gremio fovet, inscia Dido,
insidat quantus miserae deus. at memor ille

683 s. sine parenth. Ribb. Lad. 701 *famulae* MPy¹ 701/2 damn.
Peerlk. 701/6 post 722 coll. Bähr. 1884, 412. 703 *longam* Charis.
74, 30; cf. Gell. IV 1, 15. *longo* libri. 711 (~ 648 s.) damn. auct.
Heynio Ribb. 712/14 dittographiam esse suspicatur Rbb. 719 in-

Just. IV, 414.
q. g. IV, 267.
Ost. m. XI, 478
685

VIII, 690
N. 264 of V. 521
No 417.
695
b. p. ven. inque adspirans

X, 117.

700

705

710

715

matris Ac
incipit et
iam priden
Po
crateras
fit strepitu
atria; dep
incensi et
hic regina
implevitq
a Belo so
"Iuppiter,
hunc laet
esse velis
adsit laeti
et vos, o
dixit et i
primaque
tum Bitia
spumante
post alii
personat
hic can
unde ho
Arcturus
quid tar
hiberni,
ingemina
nec non
infelix D
multa su
nunc, qu
nunc, qu
immo ag
insidias
erroresqu
omnibus
sicut Gll
Serv. Rib
? Serv.
Lucani 1

matris Acidaliae paulatim abolere Sychaeum 720
 incipit et vivo temptat praevertere amore
 iam pridem resides animos desuetaque corda. cf. ~~II~~ VII, 673

Postquam prima quies epulis mensaeque remotae,
 crateras magnos statuunt et vina coronant.
 fit strepitus tectis vocemque per ampla volutant 725
 atria; dependent lychni laquearibus aureis
 incensi et noctem flammis funalia vincunt.

hic regina gravem gemmis auroque poposcit
 implevitque mero pateram, quam Belus et omnes
 a Belo soliti; tum facta silentia tectis:— 730

‘Iuppiter, hospitibus nam te dare iura loquuntur,
 hunc laetum Tyriisque diem Troiaque profectis
 esse velis nostrosque huius meminisse minores.
 adsit laetitiae Bacchus dator et bona Iuno;
 et vos, o, coetum, Tyrii, celebrate faventes.’ 735

dixit et in mensam laticum libavit honorem
 primaque libato summo tenus attigit ore;
 tum Bitiae dedit increpitans; ille impiger hausit
 spumantem pateram et pleno se proluit auro,
 post alii proceres. cithara crinitus Iopas 740

personat aurata, docuit quem maximus Atlas.

hic canit errantem lunam solisque labores, 745
 unde hominum genus et pecudes, unde imber et ignes,
 Arcturum pluviasque Hyadas geminosque Triones,
 quid tantum Oceano properent se tinguere soles
hiberni, vel quae tardis mora noctibus obstet.

ingeminant plausu Tyrii Troesque sequuntur.
 nec non et vario noctem sermone trahebat
 infelix Dido/longumque/bibebat amorem 750

multa super Priamo rogitans, super Hectore multa,
 nunc, quibus Aurorae venisset filius armis,
 nunc, quales Diomedis equi, nunc, quantus Achilles. 755

‘immo age et a prima dic, hospes, origine nobis
 insidias’ inquit ‘Danaum casusque tuorum
 erroresque tuos; nam te iam septima portat
 omnibus errantem terris et fluctibus aestas.’ 755

sideat ΓΡεν, cf. Serv. 721 *pervertere* Gebh. 725 *fit* — P *it* γ¹β²χ
 Serv. Ribb. *perampla* Jort. 464. 726 *lychni* Ribb. 741 *quae*
 γ² Serv. 744 (= III 516) *damn.* Albr. 426. 747 *plausum* schol.
 Lucani I 133. 755/56 *nam ... aestas* secl. Rbb., sed cf. Ov. her. 7, 86.

IV 414.
 W 207.
 XI 478
 685
 VIII 405 690
 N. 261 cf. VI 510
 N. 417
 695
 X 117.
 700
 705
 710
 715
 Ferrae etc. Tenax
 longam Charis.
 s.) damn. auct.
 bb. 719 in.

g. II, 478.
 = 745 g. II, 481/2.
 N. 418
 cf. eol. V. 43.